D. C.

OFFICIUM

DEFUNCTORUM

AD USUM, ET DEVOTIONEM

Tam piorum Confratrum omnium Congregationum, quam cæterorum Fidelium.



NEAPOLI
Ex typis ANGELI TRANI.

1815.

OFFICIUM
DEFUNCTORUM.
AD VESPERAS.

Antiph. Placebo Domino.

Psalmus 114.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus: * vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi: * & in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: * & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem & dolorem inveni: * & nomen Domini invocavi.

O Domine libera animam me-

am : * misericors Dominus , & justus, & Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus , * humiliatus sum, & liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam ; * quia dominus benefecit tibi .

Quia eripuit animam meam de morte : * oculos meos a lacrymis , pedes meos a lapsu .

Placebo Domino * in regione vivorum .

℣. Requiem æternam dona eis Domine .

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiphona . Placebo Domino in regione vivorum .

Antiphona . Hei mihi .

Psal.

Psalmus 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi: * & exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis: * & a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolungatus est: habitavi cum habitantibus cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabam me gratis.

Requiem æternam, &c.

Ant. Hei mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

Ant. Dominus custodit te.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino:* qui fecit Cœlum & Terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: * super manum dexteram tuam.

Per diem Sol non uret te, *

ne-

neque Luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Requiem æternam &c.

Antip. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Ant. Si iniquitates.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes,* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris

Domine : * Domine quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est:* & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : * speravit anima mea in Domino .

A custodia matutina usque ad noctem , * speret Israel in Domino .

Quia apud Dominum misericordia ,* & copiosa apud eum redemptio .

Et ipse redimet Israel , * ex omnibus iniquitatibus ejus .

Requiem æternam &c.

Ant. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit ? *Ant.*

Ant. Opera manuum tuarum.

Psalmus 137.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ: * quia audierunt omnia verbis oris tui.

Et

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, * & alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam, &c.

Ant. Opera manuum tuarum Domine ne despicias.

℣. Audivi vocem de Cœlo, di-

dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Omne quod dat.

Canticum B. Mariæ Virginis.

MAgnificat * anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies, * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo:

suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede,* & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * & divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, & semini ejus in sæcula.

Requiem æternam, &c.

Antiph. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Preces infrascriptæ in ferialibus diebus, dicuntur flexis genibus. ℣. Pa-

℣. Pater noster. *Secreto.*

℟. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 145.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo, quamdiu fuero.

Nolite confidere in Principibus: * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: * qui fecit

Cœ-

Cœlum, & Terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: * Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: * Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet: * & vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion, * in generationem, & generationem.

Requiem æternam, &c.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Re-

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat

Pro defuncto Sacerdote, vel Episcopo.

Oremus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, ut

ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores qui ex hoc sæculo transierunt; Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro Fidelibus Defunctis.

FIdelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, &c.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.

℟. Et

℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

AD MATUTINUM.

℣. Regem, cui omnia vivunt: * Venite adoremus.

℟. Regem, cui omnia vivunt. Venite adoremus.

Psalmus 94.

VEnite exultemus Domino jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei.

℟. Regem, cui omnia vivunt: * Venite adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super

omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipse conspicit.

℟. Venite adoremus.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & aridam fundaverunt manus ejus. Venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus.

℟. Regem, cui omnia vivunt: * Venite adoremus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda ve-

vestra, sicut iu exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea.

℟. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic: & dixi, semper hi errant corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

℟. Regem, cui omnia vivunt: * venite adoremus.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℟. Venite adoremus.

℣. Regem, cui omnia vivunt.

℟. Venite adoremus.

IN PRIMO NOCTURNO.

Die Lunæ, & Jovis.

Antip. Dirige. *Psalm.* 5.

VErba mea auribus percipe Domine: * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: * Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, & videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui

qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitndine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, * judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus

suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos:* quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: * in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ: * coronasti nos.

Requiem æternam, &c.

Antip. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

Antip. Convertere

Psalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo ar-

arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, * sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, & eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur, & erubescant valde velociter.

Requiem æternam, &c.

Antip. Convertere Domine, & eripe animam meam, quoniam non est in morte, qui memor sit tui.

Antip. Ne quando. *Psal-*

Psalmus 7.

DOmine Deus meus in te speravi: * salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat, ut leo, animam meam, * dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud, * si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, * decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, * & gloriam meam

in

in pulverem deducat.

Exurge Domine in ira tua, * & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti, * & synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: * Dominus judicat populos.

Judica me Domine secundum justitiam meam: * & secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum, * scrutans corda, & renes Deus.

Justum adjutorium meum a Domino: * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, & patiens: * numquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: * arcum suum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis: * sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam, * concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: * & incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: * & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum

dum justitiam ejus: * & psallam nomini Domini Altissimi.

Requiem æternam, &c.

Antip. Ne quando rapiat, ut leo animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noster. *Secreto.*

Lectio 1. *Job.* 7.

PArce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me,

me, ut glutiam salivam meam? Peccavi: quid faciam tibi o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum? & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam: & si mane me quæsieris, non subsistam.

℟. Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: * Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

℣. Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.

℟. Et in carne mea videbo

bo Deum Salvatorem meum.

Lectio 2. *Job.* 10.

TÆdet animam meam vitæ meæ: dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnare: indica mihi, cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur si calumnieris me, & opprimas me, opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui? & anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?

Et

Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum; tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortus, & sæculum per ignem.

℟. Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

Lectio 3. *Job.* 10.

MAnus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nonne

ne sicut lac mulsisti me? & sicut caseum me coagulasti? Pelle, & carnibus vestisti me: ossibus, & nervis compegisti me: Vitam, & misericordiam tribuisti mihi; & visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Domine quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commissa mea pavesco, & ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare.

℟. Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℟. Quia

℟. Quia peccavi nimis in vita mea.

IN SECUNDO NOCTURNO
Die Martii, & Veneris.

Ant. In loco Pascuæ.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi dederit: * in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ: * propter nomen suum.

Nam, & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus:* ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * & calix meus inebrians, quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Requiem æternam, &c.

Ant. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Ant. Delicta.

Psal-

Psalmus 24.

AD te Domine levavi animam meam: * Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: * etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: * supervacue.

Vias tuas Domine demonstra mihi: * & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: * quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: * & misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ, * & ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: * propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis, & rectus Dominus: * propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio: * docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia, & veritas: * requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: * multum est enim.

Quis est homo, qui timet Do-

Dominum : * legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : * & semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum : * & testamentum ipsius, ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum : * quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, & miserere mei : * quia unicus, & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : * de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, &

laborem meum: * & dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, * & odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, & erue me: * non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.

Libera Deus Israel: * ex omnibus tribulationibus suis.

Requiem æternam, &c.

Ant. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Ant. Credo videre.

Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea, & sa-

& salus mea, quem timebo.

Dominus protector vitæ meæ:* a quo trepidabo?

Dum appropriant super me nocentes,* ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei,* ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant adversum me castra,* non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium,* in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram,* ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in

tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, & psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: & ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelin-

linquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: * & dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini: * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age, * & confortetur cor tuum, * & sustine Dominum.

Requiem æternam &c.

Ant.

Ant. Credo videre bona Domini in terra viventium.

℣. Collocet eos Dominus cum principibus.

℟. Cum principibus populi sui.

Pater noster. *Secreto.*

Lectio 4. *Job.* 13.

RESponde mihi: Quantas habeo iniquitates, & peccata, scelera mea, & delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adole-

scen-

scentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti: Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.

℟. Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea: * Nec aspiciat me visus hominis.

℣. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

℟. Nec aspiciat me visus hominis.

Lectio 5. *Job.* 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore, reple-

pletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.

℟. Hei mihi Domine, quia pec-

peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser? ubi fugiam? nisi ad te Deus meus? * Miserere mei, dum veneris in novissimo die.

℣. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine succurre ei.

℟. Miserere mei, dum veneris in novissimo die.

Lectio 6. *Job.* 14.

QUis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me: & abscondas me donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivat? Cun-

ctis

ctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram... Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

℟. Ne recorderis peccata mea Domine, * dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

℟. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Requiem æternam, &c.

℟. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

IN TERTIO NOCTURNO

Die Mercurii, & Sabbati.

Antip. Complaceat.

Psalmus 39.

EXpectans expectavi Dominum, * & intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: * & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.

Et statuit super petram pedes meos: * & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum: * carmen Deo nostro.

Videbunt multi, & timebunt: * & sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen

men Domini spes ejus: * & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: * & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, & locutus sum:* multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium, & oblationem noluisti: * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum, & pro peccato non postulasti: * tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: * Deus meus volui, &

le-

legem tuam in medio cordis mei.

Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna: * ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: * veritatem tuam & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam: * a concilio multo.

Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: * misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: * comprehenderunt me

iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: * & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me: * Domine ad adjuvandum me respice.

Confundantur, & revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, * qui dicunt mihi: euge, euge.

Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te: * & di-

dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: * Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, & protector meus tu es: * Deus meus ne tardaveris.

Requiem æternam, &c.

Ant. Complaceat tibi Domine, ut eruas me, Domine ad adjuvandum me respice.

Ant. Sana Domine.

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit super egenum, & pauperem: * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: * & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine, miserere mei: * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi. * Quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * & loque-

quebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * Numquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: * & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocen-

tiam suscepisti: * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, & usque in sæculum: * fiat, fiat.

Requiem æternam, &c.

Antip. Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi.

Antip. Sitivit.

Psalmus 41.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, * ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: * quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fue-

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tnus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis, * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea?* & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, &

Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat: * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: * & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: * exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus? * qua-

quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, & Deus meus.

Requiem æternam, &c.

Ant. Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Pater noster. *Secreto.*

Lectio 7. *Job.* 17.

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.

chrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat.

℟. Peccantem me quotidie, & non

& non me pœnitentem , timor mortis conturbat me. * Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei Deus , & salva me.

℣. Deus in nomine tuo salvum me fac , & in virtute tua libera me .

℟. Quia in inferno nulla est redemptio , miserere mei Deus, & salva me .

Lectio 8. *Job.* 19.

PElli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos . Misereminì mei , miseremini mei , saltem vos amici mei , quia manus Domini tetigit me . Quare per-

persequimini me sicut Deus? & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse: & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Domine secundum actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi: Ideo

Ideo deprecor majestatem tuam: * ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

℣. Amplius lava me Domine ab injustitia mea, & a delicto meo munda me.

℟. Ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

Lectio 9. *Job.* 10.

QUare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum:

meum : antequam vadam , & non revertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine : Terram miseriæ , & tenebrarum : ubi umbra mortis, & nullus ordo , sed sempiternus horror inhabitat.

℟. Libera me Domine de viis inferni , qui portas æreas confregisti : & visitasti infernum , & dedisti eis lumen , ut viderent te : * Qui erant in pœnis tenebrarum.

℣. Clamantes , & dicentes : Advenisti , Redemptor noster.

℟. Qui erant in pœnis tenebrarum .

℣. Requiem æternam , &c.

℟. Qui erant in pœnis tenebrarum . *Se-*

Sequens responsorium dicitur solum in die Commemorationis omnium defunctorum, & quando dicuntur tres Nocturni, ut supra.

℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda: * Quando Cœli movendi sunt, & terra: * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.

℟. Quando Cœli movendi sunt, & terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna, & amara valde.

℟. Dum

℟. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Requiem æternam, &c.

℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda: * Quando Cœli movendi sunt, & terra: * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

AD LAUDES.

Ant. Exultabunt Domino.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele

le iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: * lavabis me, & su-

per nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: * & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: * & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus

Deus.

Deus, Deus salutis meæ: * & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: * & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: * cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta. * tunc imponent su-

per altare tuum vitulos.

Requiem æternam, &c.

Antip. Exultabunt Domino ossa humiliata.

Antip. Exaudi.

Psalm. 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: * & tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam: * ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: * & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti: * inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum,

tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster : * spes omnium finium terræ, & in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : * qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos a signis tuis : * exitus matutini, & vespere delectabis.

Visitasti terram, & inebriasti eam : * multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : * quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: * in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: * & campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti: * & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: * clamabunt; etenim hymnum dicent.

Requiem æternam, &c.

Antip. Exaudi Domine orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Antip. Me suscepit.

Psal-

Psalmus 62.

DEus Deus meus: * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: * ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: * & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psal-

Psalmus 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * & metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternam, &c.

Antip. Me suscepit dextera tua Domine.

Antip. A porta inferi.

Canticum Ezechiæ. Isa. 38.

EGo dixi: In dimidio dierum meorum: * vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum: * dixi: non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, * & habitatorem quietis.

Ge-

Generatio mea ablata est, & convoluta est a me, * quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est, velut a texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: * de mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane:* quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me: * sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei: * suspicientes in excelsum.

Domine vim patior, responde pro me: * Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos, * in amaritudine animæ meæ.

Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me: * Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: * projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: * non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: *

pa-

pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine salvum me fac: * & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam, &c.

Antip. A porta inferi, erue Domine animam meam.

Antip. Omnis spiritus.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cœlis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol, & luna: * laudate eum omnes stellæ, & lumen. Lau-

Laudate eum cœli cœlorum:* & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: * præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: * dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & universa pecora: * serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes popu-

puli: * principes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum, & terram: * & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: * filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Psalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: * laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: * & filii Sion exultent in rege suo.

Lau-

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano, & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria:* lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: * & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: * increpationes in populis.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus: * & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omni-

omnibus Sanctis ejus.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in Sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: * laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Re-

Requiem æternam, &c.

Ant. Omnis spiritus laudet Dominum.

℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ant. Ego sum.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Israel: * quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum: * qui a sæculo sunt prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: *

&

& de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum:* daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: * serviamus illi.

In sanctitate, & justitia coram ipso: * omnibus diebus nostris.

Et tu Puer, propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: * in remissionem peccatorum eorum.

Per

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam, &c.

Antip. Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus.

Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psal-

Psalmus: De profundis *a Matutino pag.* 7.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

FIdelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui

vi-

vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam, &c.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

In Anniversario Defuncti.

DEus indulgentiarum Domine, da animæ famuli tui fratris nostri N. cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum &c.

In die obitus Defuncti, vel Defunctæ.

ABsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui (*vel* famulæ tuæ) N. ut defunctus (*vel* defuncta) sæculo tibi vivat: & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordiosissimæ pietatis absterge. Per Dominum, &c.

Pro patre, & matre. Oratio.

DEus, qui nos patrem, & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris, & matris meæ, eorumque peccata dimitte: meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum, &c.

Per un Vescovo defunto.

Oremus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum, &c.

Per un Sacerdote.

Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum, &c.

Per uno Defunto. Oratio.

INclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras; quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N., quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis, ac lucis regione constituas & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum, &c.

Per una Defunta. Oremus.

QUæsumus Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N., & a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum, &c.

Se si fa l'Anniversario per una sola persona, si dica in numero singolare.

Pe' Fratelli, Congiunti, e Benefattori l' Orazione è Deus veniæ largitor, pag. 86.

Pe' Defonti in generale l' Orazione è Fidelium Deus etc. pag. 86.

ASSOLUZIONE

Da farsi nel seppellire un Defonto.

Il Celebrante incomincia egli solo.

NOn intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua judicialis sententia præmat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat. Sed gratia tua illi succurrente mereatur evadere judicium ultionis, qui, dum viveret, insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis. Qui vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Coro

℟. Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda: Quando Cœli movendi sunt & terra. * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.

* Quando Cœli movendi sunt & terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miseriæ, dies magna & amara valde.

* Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℟. Li-

℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda: * Quando Cœli movendi sunt & terra. * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Kyrie eleison.

℟. Christe eleison.

℣. Kyrie eleison.

Pater noster. *segreto.*

Dopò il quale il Celebrante benedice coll' acqua santa, ed incensa il Cadavere intorno, intorno.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. fratris nostri, quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perduci, ut quia in te speravit, & credidit;

dit; non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Il Celebrante intona l'Antifona, Ego sum.

Il Coro.

Benedictus Dominus Deus Israel, &c. *come sopra pag.* 82.

Ant. Ego sum resurrectio, & vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Intanto il Celebrante di nuovo benedice il cadavere, e dopo dice

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

FAc, quæsumus Domine, hanc cum servo tuo defun-

functo misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam † dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Anima ejus, & omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

FINIS.

MODO

DI RICEVERE

I NOVIZJ

AGGREGATI ALLA COMPAGNIA.

Si riceva il Novizio da due Fratelli Maestri da' Novizj, o d' altri Deputati dal Superiore; e nell' entrare de' Fratelli della Compagnia inginocchioni si reciti il Salmo: Miserere mei Deus, &c. *come sopra pag.*64. *ed in fine* Gloria Patri &c.

Finito il Salmo il Sacerdote a ciò deputato, drizzandosi in piedi, dica gl' infrascritti versetti, rispondendo i Fratelli.

℣. Kyrie eleison.
℟. Christe eleison.
℣. Kyrie eleison.
Pater noster, *segreto*.
℣. Et ne inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum, Domine.

℟. Deus

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Ostende ei, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da ei.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Rivolto il Sacerdote verso i Fratelli, dica :

ORemus; dilectissimi Fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo, qui ad deponendam vanitatem sæculi pro ejus amore festinat, ut donet ei Spiritum Sanctum: qui in observantia mandatorum Dei continuo desiderium accendat, & a Mundi impedimentis, & vano desiderio cor ejus custodiat, ut sicut muta-

 tus

tus est in introitu hujus fraternitatis, ita manus dexteræ suæ in eo virtutem boni operis perfectione confirmet, ab omni cæcitate cor ejus aperiat, ac lumen æternitatis suæ gratiæ dono concedat; qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Poi dica il Sacerdote al Novizio.

Tu ergo, frater charissime, quid petis?

Responde il Novizio.

Vitam æternam, & pacem hujus Confraternitatis.

Soggiunga il Sacerdote.

Dominus noster Jesus Christus per suam sanctissimam Passionem, vitam æternam, & hujus Confraternitatis pacem tibi concedere dignetur, ut in suo servitio perseverare valeas. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.

℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.

OREmus, Fratres charissimi, ut quod frater iste ore quæsivit, opere feliciter compleat: auxiliante Domino nostro

stro Jesu Christo, qui vivit, & regnat cum Deo Patre, et Spiritu Sancto, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Oremus.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum ✠ benedicere dignare, cui in tuo nomine sanctae puritatis vestem imponimus, ut te largiente, vitam æternam mereatur accipere, per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Il Sacerdote poi benedica la veste, aspergendola d' acqua santa, e vestendo il Novizio, dica:

℣. Induat te Deus novum hominem, qui secundum Deum creatus est.

℟. In justitia, et sanctitate veritatis.

Vestito il Novizio, s' intoni dal Sacerdote inginocchioni l' Inno.

VEni Creator, Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti, pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura,
Accende lumen sensibus,
Si dà in mano del Novizio la candela accesa.
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Deus,

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritu illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum etc.

℟. Amen.

Ciò terminato il Sacerdote levi la candela da mano al Novizio, e diali la pace, intonando l'Inno Te Deum, *e mentre si dirà l'Inno verranno tutti i Fratelli per ordine incominciando dal Superiore a dar la pace al Novizio, dicendo*

Pax tibi Frater.

TE Deum laudamus: * Te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem, * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, et universæ Potestates.

Tibi Cherubim, et Seraphim, * incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, * Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra, * majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus * Apostolorum chorus.

Te prophetarum * laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia.
Patrem * immensæ majestatis.
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu Rex * glorie Christe.
Tu patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum susceptorus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna Cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.
Judex * crederis esse venturus.
Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.
Æterna fac cum sanctis tuis, * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic ereditati tuæ.
Et rege eos, * et extolle illos usque in æternum.
Per singulos dies, benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi. Di-

Dignare Domine die isto, * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: * quemadmodum speravimus in te.

In te Domine, speravi; * non confundar in æternum.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus est in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni officiamur promissionibus Christi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oremus.

DEus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

℟. Amen.

Oremus.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari: quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum etc.

℣. Benedicat, et custodiat nos Omnipotens, et Misericors Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Terminato ciò, vada il Novizio accompagnato da' Maestri avanti al Superiore, ed inginocchioni reciti.

SAntissima Vergine, Madre di Dio Maria, Io N. misero, ed infelice peccatore, benchè indegnissimo di esser vostro servo, mosso nondimeno dalla vostra mirabil pietà, e dal desiderio di servirvi, vi eleggo oggi in presenza del mio Angelo Custode, e di tutta la Cor-

te

te celeste, per mia particolar Signora, Avvocata, e Madre: fermamente propongo di volervi sempre servire. Vi supplico dunque Madre pietosissima, per il Sangue del vostro Figliuolo, sparso per me, che mi riceviate nel numero degli altri vostri divoti, per vostro servo perpetuo; favoritemi nelle mie azioni, e impetratemi grazie dal vostro dolcissimo Figliuolo Gesù, che talmente mi porti in tutt' i miei pensieri, parole, ed opere, che non abbia da offendere gli occhi vostri, nè del vostro Figliuolo. Ricordatevi di me, e non mi abbandonate nell'ora della mia morte. Amen.

Il Superiore lo faccia giurare sul libro de' nostri Capitoli, e potrà farli qualche esortazione a suo beneplacito.

Il che finito, i Maestri de' Novizj assegnino il luogo al Novizio.

SEQUENTIA MORTUORUM.

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla:
Teste David cum Sybilla.
Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit, et natura
Dum resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Cum vix justus sit securus.
Rex tremendæ majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis.

Re-

Recordare, Jesu pie;
  Quod sum causa tuæ viæ,
  Ne me perdas illa die.
Quærens me sedisti lassus:
  Redemisti, crucem passus;
  Tantus labor non sit cassus.
Juste Judex ultionis,
  Donum fac remissionis
  Ante diem rationis.
Ingemisco, tamquam reus:
  Culpa rubet vultus meus:
  Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
  Et latronem exaudisti,
  Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ,
  Sed tu bonus fac benignæ,
  Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
  Et ab hœdis me sequestra,
  Statuens in parte dextra.
Confundatis maledictis,
  Flammis acribus addictis,
  Voca me cum benedictis.
Oro supplex, et acclinis,
  Cor contritum quasi cinis;
  Gere curam mei finis.

La-

Lacrymosa dies illa,
  Qua resurget ex favilla
  Judicandus homo reus,
Huic ergo parce Deus,
  Pie Jesu Domine,
  Dona eis requiem. Amen.

FINIS.

D. C.